Lane Medical Library

DE

DIABETE MELLITO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VIII. M. NOVEMBRIS A. MDCCCLX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MARCELLUS ŁAWICKI

POLONUS.

OPPONENTIBUS:

MIKULSKI, MED. ET CHIR. CAND.

LASKOWSKI, MED. ET CHIR. DR.

F. STUDNIARSKI, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

GRATISSIMA MENTE

CONSECRAT

AUCTOR.

Diabetes mellitus, Glicoruria, Melituria, Polyuria saccharata, Zuckerharnruhr, morbum sistit, cujus indoles, quanquam multa experimenta instituta sunt, parum nobis innotuit. Etsi vero causa formationis sacchari tam copiosi, ut in urina hoc appareat, cognita non est, tamen locus, ubi hic processus peragitur, experimentis demonstratus est. Antequam ad morbi descriptionem exponendam nos accingimus, de sacchari formatione et usu nonnulla proferemus.

DE SACCHARI FORMATIONE ET USU.

Praeter saccharum per os ingestum et ex amylo formatum, idem in hepate paratur, Bernard enim substantiam amylaceam (materiam glycogeneam) in eo deponi probavit, ex qua mediante sanguine, processu quodam *fermentationis*

saccharum oriatur. Quum fermentatio illa incognita sit, de efficacitate ejus in materiam glycogeneam nihil certi constitui potest. Haec materia glycogenea, ut Bernard ostendit, sive animali sive vegetabili victu assumto in corpore invenitur, apud animalia male nutrita evanescit, quo facto etiam sacchari paratio in hepate intercipitur. Eandem efficacitatem in sacchari formationem morbi exserunt. Miram vim in abnormem sacchari copiam ejusque in urina praesentiam operatio a Bernard »Piqûure« dicta exhibet, i. e. vulneratio fossae rhomboidalis. Haec res magni est momenti, Bernard autem locum illum nimis arctis finibus circumscripsit, quoniam, uti Schiff (Untersuchungen über die Zuckerbildung in der Leber und den Einflufs des Nervensystems auf die Erzeugung des Diabetes) docuit, vulnerationes etiam aliarum partium systematis nervorum centralis diabeten provocare possunt. Utrum vero diabetes arte evocatus ab anomala materiae glycogeneae accumulatione in hepate, an ab ejus combustione nimis exigua pendeat, diremtum non est. Si experimenta a Schiff (L. c.) instituta hepatis vasa operatione illa dilatari confirmant, diabetes arte productus a causa priore derivandus est.

Abnormis sacchari copia per renes excernitur et quum secretio ejus quoque adaucta sit, duce Schiff statuere licet, eadem inimica efficacitate *organorum uropoëticorum* vasa etiam amplificata esse, itaque nimium secernere. Quum saccharum praesente alkali libero cuprum oxydatum ad cuprum oxydulatum reducere constet, nonnulli, urinam saccharinam fortasse a deminutione alkali in sanguine pendere, suspicati sunt, at alkali quantitatem normalem in sanguine inveniri demonstratum est, qua re opinio illa refutatur.

Veteriores medici varias de diabetae melliti natura theorias proposuerunt. Darvis e. gr. hunc morbum lymphae refluxu ad vasa renalia, vel siti inexplebili provocari putavit, quae tamen sententia nullis argumentis fulcitur.

Statuerunt alii, saccharum tam in hepate formatum quam foris exceptum et ex amylo paratum oxygenio inspirato ad acidum carbonicum et aquam comburi, id quod Schiff ambiguum existimat; sin autem res ita se habeat, tamen gradus intermedii combustionis sacchari incogniti sunt.

Num Bernardi (Leçons de physiologie, I. pag. 278) opinio, »que la présence d'une matière sucrée était nécessaire pour la production de

cellules organiques«, vero consentanea sit et quas partes saccharum in formandis cellulis agat, nos fugit, magnas autem esse partes, quas in organismo agit, diabetae melliti exitus argumentantur.

Disceptatis variis de normali et anomala sacchari formatione theoriis, morbum ipsum adumbrabimus.

AETIOLOGIA.

Variae morbi causae a prioribus medicis statuebantur, ut manstuprationes, excessus in Venere, cerevisiae albae abusus (Schoenlein); raro autem diabetes mellitus Berolini, ubi plurimi cerevisiam illam bibunt, observatur. Putabant etiam (Schoenlein), sexum muliebrem huic morbo non submitti; at vero hic sexus non minus corripitur, quod infra demonstrabo. Errant etiam, qui infantes diabete non affici dicant. Frequentissime perfrigeria, sudores suppressi, exanthemata repercussa, affectiones arthriticae et rheumaticae accusantur. Quanta sit horum momentorum vis, non dirimamus, quis enim est, qui nunquam perfrigerium tulerit?

Jam ad ea momenta progrediamur, quae dia-

betae melliti causam suppeditare posse, partim physiologica experimenta partim morbi attente observati arguunt. Huc pertinent: solius sacchari vel amylaceorum pro nutrimento usus; Schiff, experimentis circa se ipsum et fratrem suum institutis, hac ratione diabeten provocari posse demonstravit, qui quidem per aliquot dies modo perstitit, sed haud dubie permansisset, nisi causa esset remota.

Quaecunque vasorum capillarium hepatis hyperaemiam efficiunt, materiae autem glycogeneae formationem haud impediunt, neque fermentum incognitum destruunt, diabeten excitare valent.

Apud homines etiam aetate provectiores saccharum in urina saepe continuo invenitur et nexus causalis fortasse in eo cernitur, quod apud eos vasorum dilatatio, itaque hepatis hyperaemia, saepius quam apud juniores locum habet; hoc modo etiam diabetes gangraenae senili interdum superveniens explicatur.

Injuriae mechanicae, ut contusiones hepatis, non raro diabeten mell. inducunt, quoniam eandem efficiunt hyperaemiam, id quod Stich post hepatis acupuncturam apud cuniculos observavit.

Galli apud epilepticos, tetanicos, convulsionibus laborantes, saccharum in urina se invenisse affirmant. Systema nervorum centrale efficacitatem in diabetae genesin exserere, optime probat Bernardi »Piqûure«; numne vero observationes illae fallaciam sistant, meris ratiociniis exortam, eo magis suspicari licet, quod alii in morbis antea relatis urinam saccharinam haud repererunt. Porro nec chloroformium nec graviditas, id quod nonnulli contenderunt, ad formandum in urina saccharum aliquid valent.

Ipsa organa uropoëtica nullam in diabeten mellitum habent efficacitatem; renes hac in re mere passivi sunt, saccharum tantum aeque ac alias partes inutiles eliminant; ut plurimum quidem in diabete mell. aegrotant, quoniam urina praeter modum adaucta est, eadem haud dubie vi inimica, quae in hepate vasorum injectione sacchari formationem, in renibus magna capillarium renalium hyperaemia ingentem urinae copiam efficit; in sacchari autem parationem nihil efficacitatis exserunt.

ALTERATIONES ANATOMICO-PATHOLOGICAE.

Magna earum traditur diversitas, alii enim hoc alii illud invenerunt. Cadavera magnam offerunt macilentiam; semper fere pulmonum tuberculosis, porro renum degeneratio, quae diuturnam eorum irritationem probat, reperiuntur. Neque minus cerebri aegrotationes et medullae spinalis, ut indurationes, hyperaemiae, et inflammationes in cadaveribus observatae sunt, quae vero utrum constantes an accidentales sint, adhuc in suspenso est.

SYMPTOMATOLOGIA.

Aegroti longius per tempus adversam valetudinem conqueruntur, antequam urina saccharina morbi naturam manifestat. Hoc prodromorum stadium sequentibus insignitur symptomatibus: abnormi viarum primarum acescentia, *pyrosi,* siccitate oris, siti et appetentia insatiabilibus. Aliquanto post nausea et vomitus, animi *intemperies,* tussis sicca, debilitas et dolores artuum accedunt. Passim etiam exanthemata scrofulosa et glandu-

larum lymphaticarum intumescentiae morbi eruptionem antecedere dicuntur. Omnes autem isti prodromi tam exigui esse et aegrotis tam leves molestias inferre possunt, ut plane eas negligant. Hanc ob rem eodem jure contendere licet, morbum subito irruere. Prodromi vel brevius vel longius tempus protrahuntur, et quo propius sacchari formatio in urina accedit, eo majores molestias aegroti conqueruntur: sitis et fames adaugentur et plerumque aegrotum permovent, ut medicum consulat, quo facto etiam saccharum in lotio detegi solet. Ab hoc inde tempore verus morbus incipit, factaque exploratione haec inveniuntur.

I. Urina.

a) Copia ejus.

Statu normali homo intra nychthemeron circiter 1500 centimetra cubica urinae reddit, diabete autem laborantes, aucta in dies lotii quantitate, 8000—9000, imo 12000 centimetra cub. edunt. Ingens urinae copia persaepe aquae ingestae quantitatem excedit, quod quidem diu in dubium vocabatur, nam tantum urinae modo reddi posse censuerunt, quantum aquae aegrotus assumserit. Minime vero meditabantur, vigente

renum irritatione, etiamsi aegrotis aquae potio interdicatur, aquam ex ipso organismo extrahi. Hic mictus abnormis per totum morbi decursum protrahitur et morte demum imminente minuitur.

b) Physica urinae attributa.

Diabeticorum urina pallida est, minime saturata, diabete autem cum morbo Brigthii complicato, quod generatim raro fit, turbida; odore caret urinoso, saporem saepe dulciusculum habet. In clinico Universitatis Gryphiswaldensis moderatore Prof. Niemeyer duo curabantur diabetici, quorum urinam saporem habere dulcem, omnes sibi persuaserunt. Certa quidem haec explorandi ratio esse non potest, partim enim sensibilitas linguae, quae degustat, partim quantitas sacchari in urina explorata differentias sistere queunt. Sapor ille a saccharo uvarum (melisaccharo, glycosi), quod in lotio inest, pendet. Urinae diabeticae tam clarae pondus specificum, quod mirari oportet, permagnum est; apud sanos enim hoc pondus 1,005, apud diabeticos 1,030 — 1,045 aequat, apud eundem vero aegrotum nunc augetur nunc deminuitur; plerumque urina tantum pondus specificum non assequitur, quod etiam ad curationem adhibitam se conformat, semper

tamen per totum morbi decursum solito majus invenitur. Urina seposita fermentationem vinosam subit; fungi oriuntur; morbo Brightii cum diabete complicato, urina etiam albumen continet. Saccharum in lotio solutum *lucem polarisatam dextrorsum* avertit.

c) Chemica urinae attributa.

Primum normalis urinae partes constituentes solidas exponam, dein sacchari praesentiam chemicis adminiculis demonstrabo.

Priores urinam diabeticorum *urea* destitui, vel, si haec inveniatur, sanationem imminere putabant. Perperam vero! Analysis chemica enim, semper eam adesse, imo interdum adauctam, docet. Victu mere vegetabili aegrotis dato, urea deminuitur, sed non evanescit, quippe quae solo ex organismo reproducatur, victu autem mere animali non mediocriter augetur. Ureae igitur secretio apud diabeticos eadem quae apud sanos est, quo fit, ut ureae portio nullum morbi signum pathognomonicum exhibeat.

Eadem *acidi urici* ratio est, nam hoc etiam a victu pendet: victu vegetabili deminuitur, animali augetur.

Salia anorganica ob majorem aegrotorum

appetentiam aucta sunt, eo magis quidem, quo plus alimentorum aegri ingerunt.

Quod ad albumen attinet, priorum sententiae admodum discrepabant: alii semper in urina diabetica inesse, et quidem in stadio prodromorum, affirmabant, alii praesentiam ejus vel nullius momenti esse, vel redituram valetudinem indicare judicabant. Albumen in diabeticorum urina occurrat, absolute necesse non est, saepe vero inest et irritamenti noxii efficacitatem arguit.

Jam in saccharum et chemicas reactiones, quibus in urina diabeticorum demonstretur, accuratius inquiramus. Silentio praetermittendum non est, plures docimasias esse instituendas, quoniam una alterave earum interdum eventu exoptato destituitur. Utplurimum hae adhibentur.

Methodus Trommeri. Solutio cupri sulfurici, acido tartarico et kali superante remixta, usque ad ebullitionem calefit, tum liquor explorandus saccharinus immittitur, quo facto, si saccharum inest, cuprum oxydatum ad cuprum oxydulatum reducitur et praecipitatum rubrum fingit.

Methodus Boettgeri. In liquorem explorandum aliquid *bismuthi hydrico-nitrici*, dein so-

lutio natri carbonici immittitur et haec agitando calefiunt. Si multum sacchari in liquore (urina) inest, bismuthum hydrico-nitricum album nigrescit, sin parcum, fuscescit.

Docimasia per liquorem kali caustici. Fluidum explorandum liquore kali aut natri caustici concentrato remiscetur et calefit; paulo post, si saccharum inest, fluidum colore flavo, deinde igneo-rubro, tandem fusco tingitur.

Sacchari quantitas cupri solutione Fehlingiana aut polarisationis apparatu erui potest.

RELIQUAE CORPORIS EXCRETIONES.

Aegroti semper fere alvi obstipatione, per intervalla nonnunquam diarrhoea laborant; excreta colorem luridum habent, quoniam cholepyrrhino carent. Aer exspiratus odorem ingratum, acidulum, foetidum spargit. Cutis arida est, ad transpirationem minime opportuna, squamosa, rimosa; sudores plerumque tum demum emergunt, si phthisis pulmonum ingressa mortem imminentem nuntiat.

Ubi cutis in tunicas mucosas transit, passim affectiones conspiciuntur: gingivae tumidae sunt, rarefactae, facileque sanguinem edunt; praepu-

tium quoque inflammatur, unde phimosis exoritur. Persaepe inflammationes telae cellularis subcutaneae existunt, furunculi per intervalla erumpunt, quibus commoti aegrotantes medici auxilium implorant, quam gravi laborent morbo, minime suspicantes; accuratius demum examen diabeten mellitum probat.

AEGROTANTIUM VALETUDO.

Jam in prodromorum stadio enormem commemoravimus sitim et appetentiam, quae totum per morbum persistunt; praeterea aegroti debilitatem conqueruntur augescentem et oris siccitatem; vox debito privatur sonitu, animus deprimitur. Procedente morbo aegroti valde macrescunt, pallescunt, cachectici fiunt, quanquam multos ingerunt cibos. Instinctus sexualis tam virorum quam mulierum infringi dicitur. Postremo oedemata, erysipelata, paralyses accedunt.

Mirum est, semper fere ceratitidem, vel (ut in casu infra describendo) cataractam evolvi. Hacce causa, sed etiam sine ea, haud dubie disturbata systematis nervorum functione, aegrotantes amaurosi submittuntur. Saepe auditus hebescit, gustus alteratur, aegri cibos discernere

nequeunt, haud dubie propter paralysin nervorum gustui praefectorum. Fieri tamen potest, ut sapor alienatus a saliva mutata pendeat, haec enim tenax et acidula redditur, quae momenta profecto gustum alterare possunt.

Causa magnae infirmitatis, quam aegroti conqueruntur, in debilitato musculorum systemate cernitur. Ingente macilentia, quam aegroti offerunt, tela adiposa consumitur, musculi, amisso colore rubicundo, pallidi fiunt et anaemici. Huc dolores accedunt columnae vertebralis et nervi ischiadici cursum sequentes, ergo femorum atque crurum.

COMPLICATIONES.

Nonnullas earum supra descripsimus; superest tantum, ut eas memoremus, quae plurimum periculi aegrotis inferunt. Longe frequentissime tuberculosis, nisi prius jam adfuit, ad diabeten accedit, quae si emergit, morbus rapida incrementa capit. Morbi Brightii supra mentionem fecimus.

DIAGNOSIS.

Reputatis iis, quae apposuimus, diabeten mellitum dignoscere haud arduum videtur; methodi

relatae, quibus urina examinatur, semper diagnosi lucem affundunt. Modo id enim agitur, ut, si ullum symptomatum diabetae supra traditorum adsit, docimasia aliqua lotium examinetur, num saccharum contineat. Interdum enim nobis persuadebimus, aegrotum aut propter funrunculum aut propter visus turbationem consuluisse medicum, ut haec morbi sequela, non morbus ipse, ab illo curaretur.

PROGNOSIS.

Generatim aegrotis diabete mellito laborantibus infausta auguranda sunt: mors tarde quidem sed certo iis supervenit. Ut plurimum morbus protrahitur, vires consumit et aegrotum marasmo submittit. Nonnunquam prosper exitus instare videtur, subito autem malum recrudescit, majorem intensitatem obtinet aegrotumque aufert.

Prout diabetae melliti causae et complicationes sese habent, de auguranda prognosi haec adnotanda sunt:

1. Relative faustissima praedictio affulget, si diabetes victum mere vegetabilem, amylacea et saccharum, secutus est, id quod fratres Schiff in semet ipsis experti sunt, assumtis enim nutrimentis mixtis, diabetes paucos post dies evanuit.

2. Quo propius diabetes ab exordio suo abest, eo laetius praesagium, eo pejus autem, quo diutius ille perstitit et quo magis vires labefactae sunt.

3. Ex aegrotorum constitutione et symptomatum gradu prognosis metienda est.

4. Apparatus sexualis conditio respicienda est, erectiones enim et pollutiones nocturnae aegrotum debilitant.

5. Quodsi ad diabeten mell. morbus Brightii ejusque sequelae, ut oedema, hydrops, accedunt, exitus lethalis fere semper praesagiendus est.

6. Pessima prognosis auguranda est iis, qui vel tuberculosi jam laboraverunt, vel quorum diabetae tuberculosis supervenit; hoc enim in casu morbus rapide progreditur et aegrotos e medio tollit.

7. Quo iniquiores aegrotorum res domesticae sunt, quo minus medici auxilio utuntur, eo certiora et rapidiora incrementa morbus capit.

CURANDI RATIO.

Morbum physiologicis argumentis non plane explicatum esse, supra vidimus, varia protulimus momenta, quae eum provocare possint, silentio

non praetermisimus efficacitatem systematis nervorum centralis in sacchari formationem in lotio, sed ad morbum ex toto interpretandum, multi gradus intermedii deficiunt.

Ex his probe intelligitur, cur innumera medicamenta ad morbum inhibendum commendata sint. Alii haec alii illa remedia laudarunt, prout vel hanc vel illam de morbi natura sententiam profitebantur.

Diaeta omnibus in morbis maximi est momenti, imo eo majoris dignitatis in diabete mell. esse videtur, quod saccharum haud mutatum resorbetur et qua tale, quum nulli impendatur usui, ab organismo excernitur. Huic quidem rei posset occurri, at saccharum, ut supra adnotavimus, in hepate etiam, quaecunque assumuntur alimenta, paratur, quare therapiae foret, partim substantiarum saccharinarum ingestionem inhibere, partim auctam sacchari formationem in hepate coercere; illud facilius, hoc difficilius, nullo fortasse pacto, perfici potest.

Ad prohibendam substantiarum saccharinarum ingestionem, aut victus mere animalis imperandus, aut caro pro alimento principe danda et, ne aegroti eam fastidiant, exiguae panis portiones addendae sunt. Raro aegroti inveniuntur, qui

tamdiu, quam morbi curatio expostulat, solam carnem ferant.

Hic agendi modus omnino rationalis est, attamen desideriis haud satisfacit, nam saccharum urinae hoc quidem victu deminuitur, minime autem evanescit. Ex quo comprobatum est saccharum in corpore etiam, quicunque detur victus, parari, cur illud eveniat, facile potest explicari. Ut sacchari in urina paratio non modo deminuatur, sed ex toto prohibeatur, Piorry agendi rationem plane contrariam commendavit. Sacchari jacturam efficere diabeten existimans, defectum ejus sarcire tentabat. Hoc ratiocinium auctore Schiff (Untersuchungen über die Zuckerbildung in der Leber und den Einflufs des Nervensystems auf die Erzeugung des Diabetes. Würzburg 1859) a vero abhorret, nam saccharum in urina apparens non morbum constituit, organismus saccharum, quod in usum suum vertere nequit, quia nimium paratur, expellit. Proinde diabeten curandi ratio a Piorry tradita repudianda est. Eundem autem agendi modum idem auctor (Ibidem), ad sententiam provocans physiologicis experimentis suffultam, commendavit. Nimium sacchari in hepate parari, aliunde autem nimis exiguam quantitatem sanguini subvehi arbitrans,

ad saccharum comburendum multa carbonis hydrata aegrotis praeberi suadet, ut fermentum sanguini insitum ex toto saturetur.

Sententia quidem haec impugnari nequit, utrum vero praxis eam confirmet nec ne, multis experimentis dirimendum est; obstat autem illud, quod aegroti nutrimenta mere saccharina vel nimis copiosa non minus fastidiunt, quam mere animalia.

Quum diabeticorum infirmitas celeriter accrescat, ad methodum primo commemoratam confugere satius videtur; victus tamen haud nimis restringendus est, sed passim amylaceorum usus concedendus, ut quam diutissime aeger animalia sustineat. Si aeger spirituosis adsuevit, exiguae eorum portiones dentur, quippe quae ciborum assimilationem adjuvent.

Tali modo victus ille diutissime fertur, id quod apud duos aegrotantes, qui in clinico Universitatis Gryphiswaldensis curabantur, observavi; apud unum eorum saccharum urinae quidem deminuebatur, minime tamen evanescebat; homo ad meliorem valetudinem reversus e clinico discessit.

Non minorem, quam cibi, efficacitatem potiones in diabetae mell. curationem exserunt, de quibus haec praecipienda sunt:

Potulenta tantum ea praebenda sunt, quae optime ac celerrissime sitim inexplebilem sedant, quia, quo plus potuum ingeritur, eo magis digestionis organa offenduntur, eo magis renes irritantur. Ex toto potus aegrotis interdici nequit, hoc enim non solum non prodesset, verum etiam obesset; ceteroquin agendi ratio maxime foret immisericors, si quis ingentes cruciatus in aegrotum inde redundantes ne minimum quidem respiceret.

Potus diuretici, ut infusum theae et coffeae, prorsus ab aegrotis arcendi sunt.

Multa quidem potulenta commendata sunt, sed aptissima esse videtur aqua, quae et minimum irritat et promtissime sitim compescit, alia contra potulenta, ut lac, minus id faciunt praetereaque fastidium facilius aegrotis inferunt. Generatim haud intelligitur, cur aquae surrogata praebenda sint, quippe quae per se diabetae non medeantur.

Quod ad medicamentosam curationem attinet, de usu ejus in diabete mellito difficile est judicatu, quum fere omnia medicamina commendata sint aliique medici multum alii nihil utilitatis viderint. Hoc haud dubie a complicationibus magis quam ab ipso diabete mellito pendet,

quum propter mancam ejus cognitionem specificum remedium detegi nequeat. Facile igitur est intellectu, modo hoc modo illud remedium salutare habitum esse. Nonnulla eorum enumerare liceat.

Sunt, qui Creosotum commendaverint; at sanatio, si quando sequebatur, incompleta erat symptomataque mox aucta atrocitate revertebantur.

Omnia fere adstringentia et tonica adhibita sunt, ut alumen, gummi kino, catechu, acida mineralia, ferrum sulfuricum crystallisatum, ferrum phosphoricum, plumbum aceticum, tanninum, myrrha, china; nullum autem eorum salutiferum fuit, imo potius omnia renes irritantia aegrotis nocere, contendere possis.

Diuretica quoque data sunt: cantharides, balsamum Copaivae, oleum terebinthinae. Cantharides periculosae sunt, quia diutius adhibitae veneficium et ingentem renum irritationem provocant; balsami Copaivae usui experientia repugnat, nam in morbis etiam minus gravibus per morbum Brightii saepe subsequentem detrimenta inferre potest, id quod in diabete mellito eo facilius timere oportet, quod magna renum irritatio jam adest.

Ad coercendam sitim et famem emetica laudata sunt, sed haec symptomatica curandi ratio magnas molestias aegrotis parat et diutius continuata debilitatem adauget. Notatu dignum est, magnis emeticorum dosibus opus esse, ut vomitus diabeticis excitetur. Emetica etiam per enema applicari possunt, quo fit, ut ventriculus minus irritetur.

Porro mercurialia in usum vocata sunt, nempe infrictiones unguenti cinerei, eventus autem salutaris non fuit.

Nonnulla medicamenta, quae seorsim exponam, specifica existimabantur, ut liquor ammonii sulfurati, fel tauri, oleum jecoris aselli, jodum, phosphorus, solutio arsenicalis Fowleri; porro alkalina remedia, ut magnesia usta, ammonium muriaticum, natrum carbonicum. Urea et Coffeinum eo consilio praebebantur, ut nitrogenium corpori subveheretur, nam hujus defectum morbi sistere causam opinabantur.

Alii venaesectionibus utebantur; nominatim Angli ingentes sanguinis portiones detraxerunt; Watt intra quatuordecim dies 100 sanguinis uncias prospero cum eventu, ut tradit, e corpore misit; quae agendi ratio maxime periculosa nobis videtur, nam aegroti, per se sanguinis inopes,

eo magis anaemici redduntur, et quum fluidae sanguinis partes celeriter, minime autem solidae, reproducantur, sanguis liquidus et, quo plus e corpore mittitur, eoque magis ad exsudationes opportunus fit.

Externe balnea tepida, infrictiones remediorum alcoholicorum, oleorum adhiberi consueverant, sed absque effectu.

Emplastra vesicatoria, ferrum candens secundum columnae vertebralis longitudinem, pluries administrata sunt. Petr. Frank, se auditorum suorum aliquem vesicatorio ad regionem sacram applicato sanasse, refert. Utrum hoc modo turbata systematis nervorum centralis actio, quae in diabete magnas partes agit, mutetur, in suspenso relinquam, eo magis, quod plura sanationis exempla desiderantur. Marshall unguento tartari stibiati in dorsum infricato aegrotum se restituisse narrat.

Superest, ut remedii efficacissimi, quod mihi videtur, opii nempe, mentionem faciam. Morbum hoc modo intercipi posse, non existimo, sed aegrotis tolerabiliorem reddi, itaque non sanationem quidem, sed deminutionem affectionis hoc remedio effici. Explicatio hujus rei rationi consentanea est. Hoc enim remedio sitis ingens et

fames minuuntur, ergo partim secretiones, partim cum his sacchari quantitates parciores fiunt. Imo haud raro diminutio non solum, sed perfecta excretionis saccharinae defectio, itaque morbi terminatio observatur. Proinde hoc remedium reliquis praeferre non dubitamus.

OBSERVATIO.

Maria Hanser, sexaginta annos nata, die tertio m. Februarii a. 1860 in caritatis nosocomium Berolinense recipiebatur et bona semper valetudine se usam esse fatebatur. Ante biennium variolis corripiebatur, quae parcae tantum apparebant et non mediocrem capitis intumescentiam relinquebant, qua exorta omnes dentes excidebant. Ex quo tempore magna macilentia corporis antea bene nutriti se manifestabat et cum hac appetentia accrescens et rapidum urinae secretionis augmentum, ita ut interdum lotii copia sextuplo-decuplo major quam prius ederetur. Saepius curationi medicae submittebatur et diabete mellito se laborare compererat. Exploratione urinae, cujus 12000 centimetra cubica quotidie mittebantur, pondus specificum ejus 1,025 —1,030, sacchari copia ut plurimum ultra 4%

inveniebatur. — Aegrota admodum infirma et macilenta sitim vehementem conquerebatur.

Exeunte mense Februario curatio opiata instituebatur et initio doses grani ½, tum gr. 1, postea gr. 1½ praebebantur. Opii granis 43 intra dies octo assumtis, narcoseos signa in conspectum prodierunt: aegrota somnolentia tentabatur, capitis dolorem, anorexiam, debilitatem adauctam et summam artuum infirmitatem conquerebatur; pupillae angustae segnius reagebant, urinae secretio ad 8000 centimetra cubica decreverat. Exeunte m. Martio symptomata opacitatis corporis vitrei apparebant, applicatis autem hirudinibus mitigabantur. Die 15 m. Aprilis subito irritationis renum signa incursabant: dolores regionis renalis, nec non vesicae dolores inter mingendum, horror, vertigo, oculorum caligo, vomitio ingestorum; urinae secretio a 7000 ad 4000 centimetra cubica deminuebatur. Inde a die 10 m. Aprilis aegrotae victus animalis largior praebebatur; nephritidis symptomata cucurbitulis demulcebantur. Haec renum affectio cum hypertrophia ventriculi cordis sinistri nexum alebat. A die 15 m. Aprilis ad diem 1 m. Junii urinae quantitas 6000 centimetra cubica non excedebat, attamen saccha-

rum in ea deprehendebatur. Julio mense urinae copia eadem mansit, aegrota vires recuperavit, sacchari portio ad 5 % decrevit. Hoc mense aegrota visus hebetudinem conqueri coeperat et exploratio cataractam incipientem commonstrabat. Hoc in stadio mulier nosocomium reliquit.

VITA.

Marcellus Lawicki, Polonus Posnaniensis, fidei catholicae addictus, natus sum die 25 m. Januarii a. 1835, patre Antonio, matre Antonia de gente Stanowska, quos vios et salvos pia mente veneror. Primis litterarum elementis Wreschenae imbutus gymnasium adii Posnaniense, directore clar. Dr. Prabucki florens. Ad primam classem ibi provectus gymnaqium petii Ostroviense et sub auspiciis direct. Dr. Enger studia gymnasialia absolvi. Relicto gymnasio, ad litterarum universitatem Viadrinam discessi et rect. magnif. Ill. Betschler inter cives academicos receptus sum. Ibidem hos viros Ill. Cel. Exp. praeceptores habui:

Barkow de anatomia universa, de cadaveribus rite secandis; Loewig de chemia anorganica; Frankenheim de physice; Braniss de psychologia et logice; Grosser de osteologia et syndesmologia; de physiologia, de anatomia cerebri et medull. spinalis, nec non de histologia Reichert; Grube de zoologia et demonstrationibus zoologicis; Goeppert de botanice universali; Roemer de mineralogia; Frerichs de pathologia speciali, de clinice medica, de balneotherapia; Ruehle de materia medica, auscultatione et percussione, de formulis medicis conscribendis; Middeldorpf de chirurgia, de clinice chirurgica; Betschler de arte obstetricia, de operationibus obstetriciis.

Anno 1858 Gryphiam me contuli et ab Ill. Bardeleben, rect. magnifico, academiae civibus adscriptus sum. Praeceptores ibi mihi fuerunt:

Bardeleben de clinice chirurgica et ophthalmiatrica, de chirurgia generali, de fracturis et luxationibus; Niemeyer de clinice medica, de speciali pathologia ac therapia; Budge de anatomia; Laurer de fasciis alligandis; Grohé de anatomia pathologica; Huenefeld de chemia organica; Haeser de pathologia generali, de historia medicinae; Schultze de anatomia comparata, de physiologia.

Anno 1859 Berolinum profectus et ab Ill. Ehrenberg inter cives academicos receptus his praeceptoribus usus sum.

Ill. Casper de medicina forensi; Ill. Virchow de cursu anatomico-pathologico; Ill. Schultz-Schultzenstein de encyclopaedia medica.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias quam possum maximas ago semperque habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Saepe maxillae superioris resectio bulbi oculi destructionem profert, haud dubie distentione nervi trigemini (Ophthalmia neuroparalytica).
2. Probabilitas recidivarum carcinomatis medullaris haud minus deminuitur amputatione quam exstirpatione.
3. Apoplexia ishaemica ab apoplexia sanguinea saepe discerni nequit.